

279.

1312.

Lettera di Gregorio Dolfin al Doge, dando conto delle entrate del dazio in Ayazzo.

Hoc est exemplum cuiusdam littere et unius cedula inclusa misse per dominum Gregorium Delphino baiulum Hermenie, quarum tenor talis est.

Magnifico et potenti domino domino Marino Georgio Dei gratia Veneciarum, ect.

Magnificentie vestre notifico per presentes quod ex quo fui baiulus recepi a mercatoribus mediam per centenarium, et sicut possum videre usque hodie recepi circa LX libras grossorum sicut alias scripsi per singulum domino duci Petro Gradonico pro maiori parte. Et adhuc vobis scriberem per singulum, sed spero in brevi esse ad vos et vestre dominacioni omnia per ordinem demonstrare a quibus et quantum receperim ordinate.

Scientes quod misi domino duci alias in duabus vicibus libras XX grossorum que fuerunt solute per manum *Nicolai Acotanto* et nunc dominacioni vestre mitto libras X grossorum, quos placeat vobis recipere a dicto Nicolao Catanto (sic).

Alias vero expendi in laboreriis et servicii communis necessarii sicut mihi fuerat a ducali magnificentia commissum et ut plenius demonstrabo cum Venecias venero Domino concedente.

Item notifico magnificentie vestre quod alias scripsi domino Petro Gradonico bone memorie duci, quod mihi videbatur quod media per centenarium non ita bene et integre persolveretur. Et propter hoc si placuisset dominationi ducali melius poterat Venetiis quam hic exigi. Scientes quod de tota ista mudua istarum duarum taritarum de *Cha Ruzini* et de *Cha Contarini* super quibus veniunt bene plus quam M.IIII.^c sachi vel circa, non recipi nisi forte X libras et dimidium grossorum vel XI usque hodie; et propterea mihi viedtur quod melius esset Veneciis istam medium per centenarium recipere quam hic.

Denarios quos recepi et a quibus recepi mitto vobis per